

A

Diuiditur etiam Psalmus in duo, quæ Propheta agit. Primum in preces, quas ad Dominum fundit: alterum in gratiarum actionem pro beneficijs diuinitus acceptis.

## DE PRIMO

1. Primum est, oratio ad Dominum. Orat autem primò: pro exauditione precum suarum in genere, & ne deferatur, quemadmodum & præterito Psalmo fecit. Quemadmodum enim fides piorum in omnibus periculis principali suo obiecto, nempe bonitate & misericordia Dei nititur: ita & in precationibus singularibus plerumq; priore loco pro illa obtinenda precatur.

Et isti precationi duo immiscet, quibus fiduciam impetrandi fulciat: vnum, quod dicit: *Petra mea*, quod metaphoricòs idem est, atq; protector meus. Quia dixerat: *Ad te clamo*: commodè subiungit: *Petra mea*. Q. d. Propterea ad te clamo, quòd scio te vnum esse protectorem meum. Alterum, quod dicit: *Ne similis reddar descendentibus in foueam*: quæ verba vehementiam & magnitudinem periculi exprimunt, quod & ipsum non parùm facit ad mouendam misericordiam. Q. d. Si tu quieueris, meq; deserueris, actum est de me, perij, quemadmodum habent qui iam sepeliendi efferuntur. Proinde ad te clamo, ad templum tuum manus meas attollo, ne sileas: id est, ne cesses ab auxiliando me.

Videmus hîc, quomodo Propheta omnem salutem suam collocet in manus Domini, ita vt se ipse deferat, sciat de se planè actum esse. O' animum planè à Deo dependentem Talis animus potest verè dicerè: *Ad te Domine clamo, ad te manus meas attollo: tu es petra mea, ne deferas me*, &c. 2. Deinde vers. 3. precatur, ne permittatur similis fieri illis, qui pacem cum proximo loquuntur, malum verò alunt in cordibus suis: hoc est, ne pariceps sit illorum tam maliciæ quàm supplicij. Habet itaque ista petitio in se destinationem improbæ & fraudulentæ amicitia, quam sanè expertus erat in aula Saulis: deinde & in sua quoq; cum per Absolomum filium suum eijceretur. Et non obscure prodit, tribulationem istam è qua eripi se petit, structam sibi esse non ab illis qui aperti & exproffesso, sed clancularij & subdoli hostes erant, foràs amicitiam simulantes. Talis erat Saul, cum fingeret nuptias filia: & serui eius, qui Dauidi suadebant amari se à rege. Talis erat etiam Achitofel, consiliarius Dauidis: id quod patuit postea in coniuratione Absolomi. Expertus itaq; meritò exhorret hoc factæ amicitia malum, orans ne supplicij illorum particeps sit. *Er will es nicht mit ihnen haben*.

Cogitemus hîc, eos qui ad istum modum precari possunt, sic comparatos esse, vt alieni sint ab ista hypocritarum & subdolorum malicia. Deinde cogitemus, etiam tantam esse illorum nequitiam tamq; bonis insidiosam, vt diuina planè custodia opus sit, ne per illam seducamur ac perdamur.

Tertiò imprecatur subdolis illis ac maliciosis hostibus suis, vltionem à Deo, eamq; talem quæ conueniat tantæ improbitati: hoc est, quæ ipsi sentiant & experiantur hoc ipsum, quod alijs maliciòse simulata amicitia struxerunt. Et certè omnium æquissima pœna est, pœna talionis *Da illis, inquit, iuxta opus suum, & secundum maliciam studiorum ipsorum. Secundum opus manuum ipsorum da illis, redde illis talionem quam merentur*. Non simpliciter malum illis imprecatur, sed vehementi affectu aduersum eos ardet: id quod ipsa verba, toties idem repetentia, deinde & talionem studijs ipsorum competentem ingeminata, satis exprimunt.

Sed hîc quæritur, an deceat filios Dei dira imprecari hostibus suis, quos ex lege Dei iubentur diligere? Breuis est responsio.

Primùm Dauid non loquitur de illis, qui sibi duntaxat aduersabantur, sed qui erant omnis pietatis hostes: atque ideo magis Dei & populi, quàm sui inimici. Iam quemadmodum dilectio Dei & proximi, si vera sit, exigat, vt inimicos priuatos diligamus: ita postulat, vt Dei & populi sui hostes summo odio prosequamur. Vide Psalm. 139.

Deinde, quoniam credibile est, prophetico illum spiritu inter orandum raptum, vidisse pœnam improbis istis paratam, rectè ad imprecandum eam permouetur. Nam hoc habent pij, vt libenter orent Deum, vt ea faciat, quæ facturum illum sciunt: sunt enim conformes voluntati illius.

Tertiò. Quia non sibi, sed alijs hunc Psalmum composuit, rectè illum ita temperat, vt habeant improbi, quò à facinoribus suis absterreantur, obseratis contra se piorum votis: & pij, vnde consolentur. Istæ imprecationes sunt quidem Dauidi familiares, verùm non mox cuius imitabiles.

Vers. 5. subiicit rationem huius imprecationis, in qua satis patet, quod dixit: nempe hoc in illis respici à Dauide, quòd pietatis essent hostes, & contemptores Dei. *Quoniam, inquit, non aduerterunt animum ad opus Dei, nec ad facta manuum ipsius, destruet illos, & non edificabit eos*. Quæ erant ista opera manuum Dei? Beneficia scilicet, quibus Deus Israël affecerat per Dauidem, ex quibus facillè cognouissent præsentem Dei virtutem. Quia ista non animaduertebant, fiebat vt pertinaci odio, & fraudulentis insidijs oppugnarent vnctum Dei, & Deum ipsum in vncto illius.

Notandum est, hoc esse proprium impiorum, vt opera Dei non obseruent. Ratio est, quòd nulla pietate aut timore Dei detinentur. Atq; iste fons est omnis mali.

Notanter autem dicit: *Nec ad opus manuum illius*: vt exprimat obstinatam illorum cæcitatem, qua fiebat, vt non simpliciter occultum aliquod opus Dei, sed ne manifestum quidem, & tale non obscure rarent, quod tam clarum erat & illustre, vt meritò Deus suis diceretur manibus illud fecisse. Quemadmodum Magi Pharaoni dicebant: *Digitus Dei est hic*. Erat enim quod à Moyse fiebat, ita mirandum, & vires humanas, etiam diabolicas excedens, vt liquidum esset, non nisi diuina virtute factum esse. Deploranda est hoc loco seculi nostri cæcitas. Certè tam conspicua opera Dei non obseruasse, euidentis est, non solum cordis in pij, sed & mox futuræ vltionis Dei iudicium. Vnde commodè subiicitur: *Destruet illos, & non edificabit eos*. Videbat enim Dauid ex eo tanquam euidentissimo signo, non

Vers. 1. 2.

Petra mea.

OBSER.

Vers. 3.

Vide Hiero.

c. 9.

OBSER.

Vers. 4.

OBSER.

Vers. 5.

Opus manuum illius.

non